



**Pentalogos in libri cujusdam Gallico idiomate evulgati quatuor  
discursuum, de la méthode; dioptrique; météorique; &  
géométrique : partem quae de meteoris peregrinam quandam  
doctrinam exhibet, rationi & naturae repugnantem ...**

<https://hdl.handle.net/1874/31202>

5/278-175  
PENTALOGOS

IN

Libri cujusdam Gallico

Idiomate evulgati quatuor  
discursuum,

De la METHODE;  
DIOPTRIQUE;  
METEORIQUE; &  
GEOMETRIQUE.

Partem quæ  
DE

Meteoris peregrinam quandam doc-  
trinam exhibet, rationi & Naturæ  
repugnantem,

Academiarum & Universitatum Scho-  
las omnes continentem, utpote  
errorum nutricula.

Auctore

*Mercurio Cosmopolita.*

\* \* \*

HAGÆ COMITIS.

Ex Officina Franconis S P R V T I.  
c10. 10 c. XL.

3

# PENTALOGOS

*Inter*

HERMETIS Filium;  
APPOLLONY Nepotem, NATV-  
RALISTAM gloriosum ; NATV-  
RAM ; & MERCVRIVM  
Naturæ Filium.

**H**ERMETIS Filius: Audi-  
tur insuetum, per cœli con-  
cava murmur, corruscanti-  
bus comitatum flammis ;  
quid aliud sibi vult, quam mox subse-  
quuturum Nimbum, Effusurumq̃ ;  
grandinem, atrum hunc Nubis globum  
certus sum. Subducam me in vicinum  
Bibliopolium, antequam ab Imbre  
præveniar.

APOLLONY Nepos. Integram fer-  
me hebdomadam domi cōsumsi deses,  
genium meum diversis speculationibus  
dilacerans ; egrediar, aërem hanturus,  
ut spiritum reficiam- Pluviam tamen

A 2

metuo

metuo, guttæ quippe cadentes de cælo, majores folio, indices Imbris esse solent, ut tempestate aufugiam, ibo salutatum Bibliopolam nostrum, is forte novi quidpiam nundinatus est. Ast quem isthic conspicio! Hominem nunquam visum autem hac, raro ris notæ ut Physiognomia indicat, adloquar cautè, ne virum offendam. Salve vir honorande.

HERM. Filius. Salve & tu ut plurimum.

APOL: nepos. Video te meæ professionis habere ad manus, Geometrica enim lineamenta inibi depicta cerno.

HERM. Fil: Virum te ego alterius notæ, judico; inferius esset tanti viri auctoritate, inutilis hujus materiæ titulo superbire velle.

APOL: nepos. Tu quis es quæso, qui Mathematices scientias tam vilipendere audes, quarum Famam totus terrestris orbis decâtat, imo admiratur.

HERM: Fil: Non ego scientiam Famosam Mathematices contemno, cujus ipsemet sum peritissimus, sed præsentem vitiosum, qui ejusdem titulo

lo sese palliavit librum : Ubi-multum  
jactitatur verborum , at nihil rerum.

A P O L : nepos: Infirmi-  
tati hominum  
adscribendum id est, qui modum in re-  
bus nesciunt; cum primum enim in his  
vel alijs quidpiam ostecerunt scientijs,  
persuasum sibi gerunt, digito se tangere  
coelos : mox chartis ignorantiam suam  
dispalescere sinunt, quas superbis insigni-  
unt titulis ; imponunt speciosâ illâ  
facie vulgo admiranturq; ab indoctis,  
at ubi ad sapientum adliferint palatum,  
cachinnis excipiuntur.

H E R M : Fil : Auctorem hujus , sit  
quis quis sit, hebetis ingenij, nulliusq;  
judicij ex scripto præfeti conicio. Qui  
veterum , dudum jam exoletum imita-  
tus est Phantasma , suscepitq; defen-  
dendum, magis absurdum veteri.

N A T U R A L I S T A gloriosus. Bona  
dies Domini bona dies ; O ho , video  
vos meas vertere plumas , quid vobis  
videtur de hoc libro , invenistisne li-  
brum ad palatum , qui rerum vobis de-  
claret principia, causas enumeret : Hu-  
jus ego auctor sum : næ ego sum homo  
doctus? quid sentitis de me? Ego com-

plurimas frequentavi scholas, at nil uisi  
 errores inibi combiberam; Scholæ e-  
 tenim errorum sunt. At proprium tan-  
 dem, genium secutus viam veritatis ad-  
 tigi: Contemsi libros quibus omnis ge-  
 neris scientiæ exprimuntur in univer-  
 sum, utpote ab veritate remotos. Ac-  
 cinxime, ingeniumq̄ meum eò dispo-  
 sivi, ut in magno isto Mundi libro stu-  
 derem; neglectis aliorum opinionibus,  
 proprio iudicio adquiescere constitui.  
 Ubi tantum me extuli, ut me substantiã  
 esse quandam, quæ in natura est pars tã-  
 tum contemplativa, & ut uno verbo  
 exprimam, esse me omnium Erudito-  
 rum quasi quintam Essentiam depre-  
 hendi. Ibi demum ad Amphiteatrum  
 Naturæ admissus sum, ibi rerum omni-  
 um hujus mundi principia, sive primas  
 causas, omniumq̄ effectus addidici:  
 Hinc quid Cœli sint, quid Astra; quid  
 Terra, & ea quæ super terram, quid A-  
 qua, quid Aer, quid ignis, quid mine-  
 ralia, Animalia & vegetabilia, ac om-  
 nia scitu necessaria mihi innotuere. In  
 summa, infinita multi-tudo formarum,  
 sive specierum corporearum mihi sese  
 ob-

obtulit; ita ut neq; ea quæ adhuc in fieri, vel in posse existunt latere me queant. Imò in notitiâ causarum, ita me fundatum sentio, ut nil mihi sit difficile ut etiam abditum, quod non ex suis principijs & causis à me cõmmodè explicari possit. Et quod majus est tantum è Naturæ fontibus luminis me hausisse scitote, ut me Reformatorem Medicinæ gloriari auserim. Regulas enim magis firmas, quam quæ hodie inter Medicos teruntur, conscripsi: plus namq; salis sapiunt, quam illæ que unquam ab Æsculapio, Podalirio, Machaone, Hipocrate, Galeno, & alijs sunt inventæ. Imò quibus Sapienciam & eruditionem meam exprimerem verba non sufficiunt, plura hic meus liber testabitur. At splendore quodam peregrino oculi mei adficiuntur, unde is fit, ignoro. Video claritate fenestras perstringi, mox atra obscurari nube. Sed eccû Mercurium qui nubibus fertur. Naturam prope esse testis est; filius is est naturæ. Sit quicquid sit, visio hæc mihi quidpiam præfagiet boni.

NATURÆ. Quem garrulum hic

audio, qui tantis absurditatibus pulchritudinem meam, quæ Imago Deitatis est, conspurcare audet; Hominem contra stimulum calcitrantem; arietantem adversus murum cæneum, contra principia garrientem, veritatem falsitate obscurantem; Ea quibus Sapientiam suam ostentare voluit Altissimus, perspicillis dimetientem. Næ iste est homo impudens, qui tantum sibi attribuit, & Idiotico suo phantasmate Naturæ admirandum & amplissimum penur, ponderari posse autumat. Videbonum lucrari possit, & ab istâ viâ erroris ad veritatis tramitem restitui; Mittam Filium meum Mercurium, cui omnes naturæ thesauri sunt cogniti, ut hominem exædificet, examinet ipsius crepundias, quibus sibi optime placet. Is ipsi volumen magnum hujus mundi revera aperiet, Lumenq; meum per sphaeras Elementorum corruscans ipsi ostendet, modo ejus cervicis sit, ut veritatis præcepta non respuat.

MERCURIUS. Ex obscurâ nube sermonem audio, Indignabunda mater mea Natura adloquitur quempiam,  
quis



quis quis est.

**NATURA.** Ades dum propere fili mi Mercuri, præsentem bonum socium Idiotismo laborantem ad exanentibi trado; egeris ut lucretur homo, qui Idiotico suo phantasmate, in tantum ab Veritate aberravit, in lacunam errorum præceps cecidit, cui Lumen naturæ in tenebras commutatum; tenebræ apud ipsum splendent, & quod majus in labyrinthum inextricabilem intricatus est. Ea quibus summa Creatoris Sapiencia refulget, Causaq; prima est ipse summus Opifex, materia Nihil; Ipse particulis quibusdam describit, visus debilitate deceptus, rebus que superficialibus profunditatem sapientiæ metitur. Ad sociabis te pauperi spiritu, si doceri cupit, examinabis que ordine singulos ipsius discursus, errores corriges, ut veritas splendeat, obscuretur falsitas.

**MERCURIUS.** Sic facturus sum ad nutum tuum Mater. Duræ alias cervicis hominem scio; ut e nolliri possit omnem movebo lapidem.

**NATURALISTA GLORIOSUS.** Quis

malus Dæmon adfricare se audet ad hominem ita doctum & tantum sapientem; sicuti ego sum. Vix inter mortales ullus erit, qui id adtentaverit, aut ego ipsi infesto hoc, iugulum, mucrone petam: stomachum utiq; mihi movit durus iste sermo, quem non tam facile digeram; Non ego ingenium meum quod tantum in omni scibili exercui, debilitari mihi patiar; neq; credo inter omnes, quos sol adspicit, inveniri mihi parem. Sed est qui me vocat, quid velit, audiam.

MERCURIUS. Etiamne sordidis tuis erroribus gloriari perges? nostin-cui te obponis? Natura est quæ te adloquuta, rerum omnium fidelissima parens, Indignabunda, curtam puerilibus nugis, nobilissimos ipsius fœtus, quibus ineffabilis Creatoris sapientia, sicuti spèculo exhibetur, cõspurare audeas. Imposuit mihi id oneris, ut te ingenio alias stupidum, rerum tamen scitu avidum, melius in naturalibus informarem; concepta tua falso suscepta cor-rigerem, veritatem aperirem: Ad cuius nutum fâcere omnia paratus sum, modo  
do

do tecum placide patiaris agier.

**NATV:** gloriosus. Auden tu juvenecule mecum ; qui Philosophus adultus sum, de rebus, quæ vix olfecisti, digladiarier ?

**MERCVRIVS.** Non tu juventutum meam adspicias, qui nunquam senesco, sumq; ipsius naturæ cocetaneus; duos adhuc fratres habeo, nos tres instrumenta sumus, quibus per mundanam hanc scenam, trina ista Republica Animali, vegetabili & Minerali, generationum, transplantitionumue Natura absolvit progressus.

**NATVR:** Glorios: Sis quis sis bone homo, salua mea res est, & ita validis firmamentis innixa, ut nullum Arietem timeat. Tu si cordatus es, fac officium; ad certamen te provoco. En tibi librum meum, qui subjectum erit. nostri certaminis. Si de Methodo mea, de Dioptrica; aut Meteorica; vel Geometrica, mecum agere voles, tu elegeris **MERCVRIVS.** Quæ superficialia, præteribimus, ne aureum inutiliter perdatur tempus: Meteorica; Thema nostram erunt, hic enim ansa dabitur

profundius in naturalia penetrandi.

NATUR. Glorios. Feceris ut lubet, ordiamur itaq; à primo meo discursu, ubi.

## D E

NATURA CORPORVM TERRESTRIUM tractatur.

Aquam, Terram, Aerem, & alia nos circumdantia corpora, ex particulis sive minutijs quibusdam paulo majoribus quam Atomi constare reperi, easq; diversarum figurarum, quæ non adeo firmiter sibi cohærent, quin intervalla inter ipsa dentur, quæ tamen vacua non sunt, Sed materia quadam subtili repleta, quibus Luminis actio sese intermiscet.

Particulæ ex quibus Aqua est composita, sunt tortuosæ, lubricæ, figuram minutissimarum anguillarum referentes. Illæ vero ex quibus Terra & Aer, & major pars cæterorum coporum, habet figuras irregulares & inæquales, quæ ita miscentur, ut corpora dura producant, qualia sunt lapides, arbores & his  
fi-

similia.

Dictæ particulæ ab corporibus luminaribus una cum subtili ipsis cohabitanti materia undiq; ad lineam rectam compulsæ, fiunt materia Luminis: Motu isto sive peculiari quadam actione causatur Lumen.

MERCURIUS: Dico ego ex iisdem te constat esse particulis, & ex intermixta ipsis subtili materia, generari vermes, qui cerebrum tuum depascunt, alterantq; spiritum tuum Animalem, quo intellectualis obscuratur, ut concepta somnies tam puerilia. Antiquitatis is error fuit, mundum totum constare ex Atomis, dudum jam exoletus: recrudescit is, hoc tuo libro, multò deterior; neq; dignus ut Sapientum obferatur palato.

Elementorum causas, principia, ortus, materiam expiscari velle, esset hoc divinæ sese adterere Sapietiæ qui solus Elementorum est causa efficiens, Materia Nihil. Si ex oculis judicare vis, Elementa non vides, corpora elementata vides. Aquam tangis sed Elementatam, tribus cæteris gravidam; Terram cal-

cas, sed elementatam, alijs tribus in-  
 prægnatam: Aerem sentis, sed ignoras,  
 ipsius tria reliqua portantur pennis. Par-  
 ticulæ quas visus acie percipis, corpora  
 sunt rarefacta, vi potentioris in minuti-  
 as dissipata, quorum etiam minimus iste  
 atomus, si Aqueus is fuerit, eandem a-  
 natomiam, molis integræ aquæ servat,  
 estq; nil aliud quam aqua: si terreus  
 fuerit, anatomiam totius terrestris mo-  
 lis fatebitur. Quo nomine adfirmare  
 poteris particulas istas causas esse &  
 principia Elementorum, & progenito-  
 rum, ex ipsis omnis generis mixtorum?  
 Ex cerebro te laborare etiam ipsi pueri  
 clamabunt, dicentq; hac ratione dum  
 ludent ex particularium tuarum adcu-  
 mulato acervo, se mixtorum creare pos-  
 se infinitudinem, si delirio tuo locus  
 detur.

Sunt dicta corpora Elementaria ab  
 ipso summo Oprifice ex nihilo ita crea-  
 ta, ut sint sicuti matrices & nutrices, in  
 quarum sinu semina & principia rerum  
 atq; ideo generationum transplantatio-  
 numq; adservantur thesauri; ea omnia  
 in forma duplici spiritali & corporea,  
 sive

sive materiali & formali, ut sunt Elementa materialia, Elementa formalia, Principia materialia, Principia formalia, Semina materialia, semina formalia ubi certa prædestinationum tempora expectant, quæ postquam adoleverint uberrimè per mundanam hanc spæharm luxuriant; quâ formâ duplici quodlibet mixtum occuparunt. Ex istis fontibus rerum naturalium, tibi petendæ sunt, eausæ & principia. Si in his melius informari cupis, librum nostrum *HERMINIAM TRESMEGISTON* consule.

De Luminis materia & Essentia, toto cœlo erras. Inferius hoc esset Majestate Divina, splendorem Æternitatis talibus nugis velle ostentare. Lux enim spiritus est, qui ab æterno spiritu processit. Quippe ante mundi ortum, primæq; materiæ formationem, extra Deum nulla lux erat. Orta tandem natura; ab igneo æternitatis spiritu, nutu potentissimi istius *VERBI FIAT*. Lux spiritualis in naturam influxit, quæ virtute suâ Ætherea tenebras accendit, & in lucem convertit. Ista luce Cœlum splendet;

det; Hebræis dictum Schamahim, ab Eschua-mahim id est ardens spiritus quod ex parte suæ formæ spiritualis est. In eodé Cælo, compedio quodam Lux dicta in duobus Luminaribus Sole & Luna ab Altissimo est coangustata, & ad sphaeram Firmamenti exclusa; quæ tanquam faces seu moles flammæ, Universæ naturæ ministrare debebant. Lux itaq; Solaris nihil aliud est, quam spiritus lucens à spiritu Luminis æterni, originem trahens, corpori suo tanquam forma inhærens, perpetuo fluxu Lumē, ac multam suam virtutem, omnibus naturis universi communicans, tu-ne hæc mysteria particulis tuis ineptis adscribes? Apage sis.

N A T. Glor: Cappari, hæc sunt quæ ex alio fluunt dolio. Non tamen ego ista morabor, consenescam potius in errore meo; alias quâ apud vulgus ignarum inclarui, imminueretur auctoritas mea, pergam tamen de cæteris monere, ut melius rem percipiam. Amice mi Mercuri sermonem tuum qui captum meum aliquantisper superat, impugnare nolo; Audiam te etiam de sequentibus.

D E



## D E

## VAPORIBVS &amp; EXHALATIO-

NIBVS secundus est discursus

meus.

**V**Bi doceo vapores nil aliud esse præter minutias sive particulas, paulo majores quam atomos vi radiorum solis in sublime actas, procedentes de materiâ, quæ propria est vaporum aut exhalationum, videlicet si dictæ particulæ figuras regulares habuerint, esse ipsas de aqua, dicique vapores, At verò si irregulares figuras habuerint, esse exhalationes:

**MERCVRIVS.** Melius ac magis proprie hac de re ab Antiquitate iudicatum, quæ vapores nil aliud quam rarefactam aquam partim à calore nativo, utpote agente, partim ab ambiente, tanquam suscitante comminutam esse dixit. Culinas salutato, consulitoq; focarias, quid vapores sint, ipsæ te docebunt. Cacabum aqua bullienti tibi exhibebunt, cui tegulam adplicatam vapores excepisse concrevisseq; in eandem

dem aquam cernes; ibi particulæ tuæ conliquatæ periere ferventibus undis.

Differunt vapores ab exhalationibus quia illi humidi, hæ siccæ. Aquei illi; hæ è terra fumantes; bituminosæ aliæ sulfuginosæ, mercuriales, mineralium, animalium, & vegetabilium tincturas repræsentantes, recrementitia ut plurimum fuligine vestitæ; suntq; corpora continua, spiritualia, quibus nullæ particulæ notantur: Aut ergo tuus sensus visus hebes fuit, cui tales flocci obfultabant; aut perspicilla tua falsa, tales festucas tibi per æra mentiebantur. Uberius de his ex Herminia nostra Trismegiston percipies. At pergamus ad Tertium discursum, qui tractat.

## D E

### S A L E M A R I N O .

**N**A T V R: Glor: Mifrater Mercuri,  
de isto sale mirabilia tibi edisseram,  
modo auscultare velis.

Scito sal istud Marinum esse de natura Aquæ quia ex iisdem particulis si-  
cuti

cuti aqua, est compositum, magis tamen grossis quam Aqua.

Aquæ autem illæ marinæ, quibus sal dictum amicitur, differunt longè ab aquis dulcibus; sicuti particulæ istæ differentes sunt, quæ ad generationem salis ab illis quæ ad Aquæ compositionem concurrunt. Hinc aquæ salis ponderosiores sunt dulcibus, quia ex grossioribus particulis constat.

Hic subtilitatem nota Mercuri, quomodo sal istud coagulatum dissolvatur; puta: Interponentibus sese particulis Aereis, & particulis Aqueis, consociantibusq; sese cum particulis salis, agitatio quædam violenta oboritur, quâ perseverante, solvitur salis continuum. Tali agitatione particularum, à congelatione defenduntur aquæ, quæ cessante congelantur in glaciem. Æstate enim si sale nivi commiscueris, nivem in glaciem fundes.

MERCURIUS. O homo gloriose qui te ipsum ignoras quis non delirare te dixerit qui ita jejunè de naturalibus differis? De sale rerum omnium materiâ universali tam insulsum fers judicium.

Sal

Sal istud mater est, radix & fundamentum terrestis hujus globi: Et q; ipsum verum terræ Elementum, cujus pars, nutu Omnipotentis ab aquâ sese separavit, exsiccatumq; varijs corticibus, saxeis, sabulosis, lutosis, bolariibus sese vestivit, quos tu quotidie calcas; Istis corticibus excipiuntur Elementi Aquæ Terræq; semina sicuti matricibus, quæ maturitatum temporibus foetuum excludunt mirmecias. Ista involucria, si tu Terræ Elementum autumas, erras tota terra. In centro eorundem vera Terra Elementaris hospitatur, sicuti centrum centri, Sal centrale, spirituale prorsus, verum illud Ens feminis & virtutis quo sal dictum animatur, causa & principium omnis foecunditatis.

Causa coagulationis salis est proprius ipsius spiritus, qui calore externo irritatus, liquore isto heterogeneo sese exonerat, ac in nitidissimum concrevit crystallum, asperius concitatus, in corpus albicans exurit.

☛ Solutionis ipsius causa est; mercurialis illa humiditas verum Aquæ Ele-

mentum, cuius externus iste liquor insipidus, sicuti indumentum est, qui cum primum eidem sese adfricaverit natura contraria ipsum adurit, illud de glutit, abforbet & informam aquæ convertit. Animatur nominatus liquor Mercurialis spiritu potentissimo, qui si luxuriaverit, Maria in fluctus elevat.

Sal ergo dictum Marinum, corpus erit ab aquâ prorsus hæterogeneum, de quo tu perperam somnias. Neq; enim Anatomia salis respondet anatomie Aquæ, cum sint individua in suâ specie differentia. Habitare simul dices sub uno tegmine, quod contrarijs non datur. In gradibus quidem excellentibus, minime, at vero in gradibus remissis, etiam duo contrarij spiritus simul hospitantur modo tertius non adsit qui pugnam indicet. Herminia nostra Trismegiston ptolixius tibi rem declarabit. Causam congelationis aquarum inferius ubi de grandine agetur, audies.

NATURALISTA GLORIOSVS.  
DE VENTIS; *Ita habeto.*

OMnem agitationem Acris ventum esse, & omne Corpus invisibile & im-

impalpabile esse Aerem.

Est autem aër ex iisdem particulis sicuti Aqua sed multò subtilioribus, quia Aer prodit & generatur ex Aquâ.

Ventus autem ex vaporibus aquarum fit, vera ergo materia ventorum Nubes sunt.

MERCURIUS. O infaniam hominis! Credo ego Aerem, tum in cerebro tuo ex vaporibus Meri genitum agitatumque fuisse, cum præsens phantasma de ventis præmeditatus es. Argumentaris sic:

Omne Corpus invisibile & impalpabile, est Aër.

Omnis Aër est ventus. Ventus fit ex Nubibus, Nubes ex vaporibus, Vapores ex Aquâ.

E. Omne Corpus invisibile & impalpabile erit ventus & Aqua.

Ventosa isthæc est Hydropica Philosophia & helleboro digna, qua simul expurgetur, caput & Venter. At nolo mouere ne plus fœteant sordes. Est certe Aër substantia spiritualis invisibilis, sensibilis tamen, quartum Mundi Elementum, inter concavum superioris, & conuexum inferioris globi sphaeram

ram occupans à Deo ex nihilo creata,  
 suâ specie à cæteris Elementis differēs.  
 Estq; nil aliud quâ Spiritus Mundi. Aër  
 enim græcum vocabulum est, Latinè  
 spiritus, ipsius intemperantia est inquie-  
 tudo vehemens, flatu impetuoso ea quæ  
 ambit adficiens, quam inquietudinem  
 sapientes ventum dixere. Nubes vero,  
 vapores Aquarum & his similia, ipsius  
 concavo excepta agitatione ab dicto  
 spiritu, hinc inde feruntur, disijciuntur,  
 conglomerantur quandoq; in pluviam,  
 in nebulam, rorem, nivem, grand-  
 nem & his similia ac ita inferna repe-  
 tunt. Non ergo ad Aëris generationē,  
 neq; ad originem ventorum quidquam  
 conferent. Plura de hac materiâ, Her-  
 miniam nostram Trismegiston vide.

NATURALISTA Glor: Ad quintum  
 discursum pergamus. quid.

D E

NUBIBVS & NEBVLA

judicas.

EGo Nubes nil aliud, quam sæpius  
 dictas particulas, in unam molem es-  
 se

se adcumulatas. Sicuti n, vapores dilatati ventos causantur, ita conglobati concrefcunt in Nubes. Si per intimam regionem ferantur dicuntur Nebula, si mediam occupent, nomen Nubium obtinent.

MERCVRIVS. Quæso confer hæc simul, Particulas dicis paulò majores quam Atomos esse materiam Elementorum, & easdem particulas esse materiam Nubium; Dicis supra, Nubes nil aliud esse, quam vapores Aquæ, ergo particulae istæ nil aliud erunt quam vapores: utinam simul & semel è cerebro tuo evaporarent. Quæ insana somnia sunt hæc. Ita n. Nubes & vapores quæ duo apud te unum sunt, erunt materia aquæ, quæ nil aliud sunt quam particulae ex quibus aqua componitur, erunt quoq; Nubes & vapores priores Aqua, ut materia materiato, Causa suo causato; existisse prius Nubes & vapores quam Aquã, sequetur. O absurditatem! Insuper, resolvitur apud te Aqua in primam suam materiam motu perpetuo, quoties particulas tuas in sublime excludet. O deliria! Non hîc aqua ita reso-



resoluitur ut in primam suam materiam  
 abeat, sed rarefit potestate interni sui,  
 tum ambientis caloris, spiratq̄ vapores,  
 quibus Aëris concava replet. Isti vapo-  
 res in unum globum sive molem con-  
 voluti, dum hinc inde feruntur Nubis  
 lucrantur nomen; si iterum rarefiant di-  
 latataq̄ mole per infima spectentur, Ne-  
 bulæ titulo insigniuntur; ita tamen ut  
 vel minimus iste sive Nubis aut Nebu-  
 læ atomus, non materiæ aquæ sed ipsius  
 Elementi Aquæ integram servet Ana-  
 tomen.

Scito insuper ipsis iisdem Nubibus,  
 Aqueam portari terram. Ignem & Aë-  
 rem Aqueum, quod scire summè Phi-  
 losophicum est. Et nisi tu injuriare Na-  
 turam cum tuis particulis cessaveris,  
 consurget ignis Aqueus; ag et in aque-  
 am terram, quæ pisâ saxea in aëra vomet;  
 si aëris flatus ipsa ad inferna pellet, cave  
 dorsum tuum obijcias.

NATUR: GLOR: Ipse bonus Dæ-  
 mon hunc Mercurim erga me concit,  
 qui mihi mea principia & causas rerum,  
 quas ego magno labore & profunda  
 speculatione inveni, quasi in nihilum

B

ver-

vertit. Ast dissimulabo ægrè me ferre  
 ipsius discursus, ne interrumpatur in  
 proposito.

Courage Domine Mercuri : sexto  
 meo discursu.

D E

*NIVE, PLUVIA & GRANDINE*

ita sentio.

**S**icuti plurimæ causæ sunt, ne nubes  
 infima petant, ita singularis causa est  
 particularum istarum, quæ sunt materia  
 Aquæ congelationis; qua impedi-  
 tur, ne in nubem pluvialem coalescant,  
 nisi viscaloris sese interponat, ut parti-  
 culæ dictæ congelatæ, colli quantur, ac  
 ita ponderiosiores factæ, cadant ad infer-  
 na terræ.

Ventorum frigiditate remissiori Ni-  
 ves, intensiori, grandines generantur;  
 calore, in pluviam utraq; dissoluntur.

Rursus, Calore frigori sese per ven-  
 tum circumfundente diversitas figura-  
 rum, Nivis tum grandinis particulis im-  
 primitur. Pilosa namq; ista quæ Nix in-  
 voluebatur substantia, si caloris vi con-  
 liquetur, faciem polygonam hexago-  
 uam

nam vel pentagonam aut aliam exhibebit; sicuti ipse multiformes figuras, quas in libro meo connotavi, observavi; notaviq̄ calorem in Nivem agentem, causam fuisse, ut depictæ particulæ in torquentes coaluerint.

Concludo inde Nubes compositas esse ex guttis aquæ, quæ gravitate suâ in pluviam descendunt.

Manna, exhalationis terrestris fructus est, sicuti & alij succi ipsi similes.

M E R C U R I V S. O hominis infirmitatem, Hypochondriaca ipsum laborare certum est, flatibusq̄ hypochondriacis cerebrum ipsius turgere, Ventorum sibi obcurrens gelidum phantasma, index est, quod Nivem, grandinemq̄ apud ipsum parturit. Quid frigus sit prius addiscito, pulmo gloriose: Astromias peritos consulito, ipsi tibi dicent, quænam Astra sint frigoris, quæ Nivis, quæ grandinis, quæ Astra Æstatis, quæ Brumæ; Si frigus nil aliud quam absentiam solaris caliditatis iudicas, erras: Dic causam cum præteriti Anni 1639. Mense Martio & Aprili Cœlum estiyâ serenitate ridebat; Aër

solaris jubaris temperie gaudebat. E-  
 contra præsentis hoc Anno 1640 utroq̄  
 dicto Mese obscurâ nube torpebat Cœ-  
 lum ; Aër auram gelidissimam spirabat,  
 turbabaturq̄ Nive & grandine. Sole ta-  
 men tam præsentis quam præterito anno,  
 in eadem exaltatione tum temporis  
 manente. Astrale ergo istud frigus,  
 quod Astra Saturnia Lunaria & Mer-  
 curialia ejaculantur, cum in nubem ro-  
 ridam egerit, raritatem ipsius cogit in  
 arctum, formaq̄ plumaceolorum ipsam  
 cōgelat & ad infima deiicit, quod physi-  
 ci nivem nuncupant. Quod si verò dicta  
 nubes conglobetur in densum, ita ut in  
 guttas diffluat (quæ guttæ infima peten-  
 tes nomine pluviae adpellantur) Eæ-  
 dem ipsæ guttæ è nube pluviali caden-  
 tes, si ab nominato tactæ fuerint Astrali  
 frigore, in grandinē congelascunt, tan-  
 to majoris molis quanto plures simul  
 coaluerint, neq̄ tamen per accidens id  
 fieri cogirato, sed ex peculiari Astro-  
 rum grandinis influxu. Cur figura diffe-  
 renti quandoq̄ spectetur grando, mira-  
 biles etiam per vitra fenestrarum prui-  
 næ crescentiæ, quas nullus artifex imi-  
 tari

tari potest? Lusus sunt hi, salis spiritus, qui Aqueo quo vinciebatur menstruo, frigore concreto, quasi solutus, potentiam suam exerit, Lususq̄ mirabiles per substantiam istam glaciale, ostentat, cui infinitas figuras imprimit. Quâ de re- cum speculationes tuę superficialibus sint penitus, superficialibus etiam causis exornantur, adquirere te superficiei oportet, qui profundius penetrare non potes.

Repetis hic iterum de Nubibus, quas ex guttis aquæ compositas garris, quæ gravitate suâ in pluviam descendunt, quomodo hæc cum superioribus conveniant ipse pensita: ita confusè de omnibus discurre, ignarus quid facias At tamen videris tibi nimium sapere, ubi admodum desipis.

Blateras porro, Mannam exhalationis fructum esse sicuti & alios succos ipsi similes.

Ajo ego te fructum esse Matris omnium fatuorum. Insane disce prius fructus quatuor Elementorum nosse. Qui fructus sint Aëris? Qui Ignis? Qui Aquæ! qui Terræ! Ubi Aqua parturit?

Ubi generat Ignis ? Ubi Aër fructus suos deponit ? Quibus locis terra foetus suos eijcit ? Quodlibet enim Elementum in peregrina sphaera fructificat: Ista nisi prius addideris, cujus Elementi fructus sit Manna, eris inscius. Moneo te hac vice adhuc ne me cum tuis, quibus infatuatus es, particulis irites amplius, vel ego movebo sphaeram meam, quæ nubes conciet, grandinemq; bilibri pondere fundet qui te in ipsas conteret minutias. Quid Manna sit, Tereniabin Troni & his similes fructus quia prolixiori calamo indigent, quem compendium præsens non patitur. Herminia nostra Trismegiston tibi satisfaciet.

NATURALISTA GLORIOSVS. Piano Piano Signor Mercuri. Scin quo cum tibi res est? cum homine Philosopho.

MERCVRIVS Cum homine Cacosopho; homine indocto à literis averso, à Naturâ contempto, quo coram Natura Arcana sua abscondit. Lux naturæ ipsi sunt tenebræ; qui sublimius penetrare nequit, nisi in quantum externi sensus sibi permittunt.

NATVR; GLOR: Certe iste Mercurius

curius pejus me excipit, quam illum qui vix sillabis initiatus est. Tamen ego videor mihi homo doctus, qui eò rem promovì meam, quo alius numquam cogitasset. Indulgebo nil minus ipsi: fateor quidem profundiora esse quæ mihi obijcit, & supra captum meum, quia à meis præceptis prorsus aliena. Audi Mercuri in materia sequenti quæ subtilior est ceteris, autumo, me tibi satisfacturum, quam discursu meo septimo expono.

## D E

*TEMPESTATE, FULMINE,*  
& *ALIJS* Ignitis in Aëre  
apparentijs.

**D**E Tempestate breviter habeto; inde demum cognosces quantum sapientiæ in me lateat.

Cum Nubis ex supremâ & altissima aëris regione gravitate suâ cum impetu inferiora petit, cujus magna moles aërem quatit, ventumq; suscitât, perq; aëris latitudinem tumultuatur. Iste motus impetuofus tempeftas dicitur.

Ignium, qui per Aërem conspiciuntur

tur materia sunt exhalationes, nubilosissimis illis vaporibus commixtæ, compositæ ex particulis minus solidis, habentibus figuras irregulares, quæ ab aëre agitatae à nubibus separantur, & tantâ agitatione concitæ flammæ concipiunt, fitq; in de Ignis S. Helmi, Ignis S. Helenæ & his similes.

Tonitru verò nihil aliud est, quam concussio Nubium quædam, impetu vehementi sese collidentium, quâ collisione per aërem resonantes causantur soni.

Fit etiam Tonitru sine coruscatione, ex solâ concussione Nubium, absente tum dicta exhalatione.

Coruscatio verò fit ab exhalatione, inter duas Nubes inclusa, quæ dicto Nubium concussu tanta violentia excluditur, ut flammam mentiatur, splendoremq; edat, qui coruscatio dicitur.

Si eadem exhalatio copiosior fuerit, maioreq; explodatur impetu, nomen Fulminis obtinet.

Dicti fulminis ea natura est, ut vestimenta comburat, pilos consumat, solidioribus corporibus intactis. Causa est, quia



quia ex oleosis particulis materia ejus est composita quæ ita subtilem edit flammam, ut non nisi rebus facile inflammabilibus sese adfricet.

Concrefcit quandoq; fulmen etiam in lapidem, quæ ferit omnia intempertem.

Concludens dico, causam omnis generis ignitorum meteororum, non esse aliam quam supra dictas exhalationes nubibus inclusas, secundum magnitudinem Nubium & copiam exhalationum differentes causantes Ignem.

MERCURIUS. Credo ipsum particulas istas ostiatim emédicasse, nisi iste subpeterent, vacillaret ipsius scientia.

De Tempestate somniasse ipsum conijcio, vi tempestatu prægrandem Rupem ad superna aëris fuisse raptam, quæ casu præcipiti ad infera tempestatem ipsi peperit. Quod si forte alia Rupes, Chalibea aut silicea cadenti contigisset obvia? Illo concussu dubio procul excussisset ignem.

Judicet quisq; quæso emunctæ naris, num vapor cum vapore possit concuti? Aut qua vapor, casu rapido ad

inferiora ferri ; Item utrum vaporibus exhalatio ita possit constringi , ut cum impetu egressum quærat ; si reti fuliginem ita coangustare poteris , ut iterum excludas , causam tui fulminis tibi concedam : jaçtabis certe , pisa per parietes : sed metuo ne particulæ tuæ in nubibus indurentur in Chalybem , demum strepitum ederent ! Væ tibi si sub nudo cælo spectares Phænomenon .

Est utiq; tempesta , Aëtis Elementi æstus , sicuti Elementi Aquæ in vasto mari . Spiritus potestas est quoties in sphaera sua luxuriaverit , Actus impetuosi agere forma si quæ ipsius concavo coinciderint , agitari ab ipso , quæ graviora ut pluvia vel grando ad infera pelli , leviora ad ima evehi : ista contingentia sunt & tanquam accidens ad tempestatem concurrunt . Ex hoc solo conjicere licet , bonum istum hominem , quid proprie meteoron sit ignorare .

Quæ de Ignibus per aërem sese manifestantibus fabularis , nauseam mihi movent ; cogites ipse poteritne exhalatio facile inflammabilis nubibus immersa , ab ipsis ut ut agitatæ iterum se-  
para-

parari ac ita excludi, ut inflammetur & contra naturam & rationem hæc actio pugnat: non bene hæc abs te masticata sunt; melius adterre debuisti, antequam evomisses: sunt hæc particularum tuarum irregularium phantasmata, irregulari tuo cerebro concepta: si parturient, Ignem stulthelmi succendent: quanta serenitas erit? De his omnibus sic intellige;

Luce meridianâ clarius notum est, vel cuivis etiam rustico, in magno hocce Aëris circulatorio infinitas è terrestri globo circum ferri vaporum exhalationumq; tincturas, partim ab ambienti, partim ab interno Terræ calore ad externa pulsas, ubi tanquam hospites peregrini, tempestatum, turbinumq; excipiuntur procellis; sicuti sunt vapores Aquæ, Exhalationes terræ, sulphuræ, Mercuriales, Nitrosæ, Antimoniales, Arsenicales, Sandaracales & id genus aliæ complurimæ, quibus differentes intemperantias aërea perpetitur sphaera. Duùm generum sunt, quæ ad generationem concurrunt Tonitruï spiritu potentissimo tu nentes; Mercuriales &

sulphuræ. Concurrente itaq; Nitro-  
 mercuriali gelido spiritu, cum sulphuris  
 spiritu potentissimo summeq; igneo, istâ  
 contrarietate, quâ sibi invicem adver-  
 santur cum primum cœunt ita incales-  
 cunt, ut quasi flammâs eructent, quæ ac-  
 censa moles, Nubi roridæ ad dissoluti-  
 onem in pluviam propinquæ, aut jam  
 pluenti immersa, murmur in consuetum  
 edet, quod tonitru dicunt Physici. Sit  
 ab exêplo, vitrioli igneû sulphur (quod  
 tibi vix notum est) quod si proprio  
 injeceris Mercurio, aquâq; exceperis,  
 tonitruo non absimilem edet sonum,  
 non sine magno periculo adstantium.  
 Item sumito Nitri mercurialem spiri-  
 tum (qui à te tibiq; adhærentibus re-  
 motus est) eidemq; in vitro capaci spiri-  
 tum sulphureum Oenostagmatis addi-  
 to, ipso momento inflammabirur, ele-  
 vabitq; sese una mole flammea, si per ar-  
 tificium rorida nube cubiculum tuum  
 adimpleveris, Tonitru, inflammatus  
 dictus conciet spiritus. Ita accensi no-  
 minati duo spiritus splendorem ejec-  
 tant, qui ab Sapientibus Fulgur sive  
 corruscatio appellatur.

Si

Si talis inflammatio absente Nube rorida contingat visuntur fulgura per cœlos sine strepitu. Jisdem ipsis duobus Nitromercuriali & sulphureo spiritibus, majori solito mole sese amplexantibus, nubeq; rariori quam ut ab eâdem convinci possint, iisdem sese associante, incitantur ab ipsa tantoq; fragore infima petunt, quæ tangunt adficiunt, corpora rariora, lignea, facile penetrât, cremabilia exurunt, metallica fundunt, muros findunt, etiam terram ipsam, si eidem sese eo impetu insinuaverint in lapides conliquant (hinc error iste de lapide fulminis) talis insolitus fragor apud Naturalistas Fulmen vocatur. Sed græca sunt hæc coram te, quæ vix intelligi poterunt.

Pulveris pyrii Anatomen examina quid tonitru quæve causa fulminis sit percipies, si sanus es. In auro fulminanti simulachrum fulminis nota, cujus sulphuri subtilissimus sese adfricavit Nitri spiritus, cujus drachma una fragorem edet Fulmini consimilem infera petentem, perfringentem etiam duûm digitorum crassitudine ferri laminam, similes

spiritus Nitrosi, Bituminosi sulphurei, per aërem volitantes, quoties concurrunt, innumera ignita causantur phænomena.

Tu qui ita stupidus es & rebus superficialibus immerfus vix tibi persuaderi patieris, hæc ita in maorocosmò fieri. Per illa tamen quibus Ars naturam imitatur, ad credendum cogeris, ubi similes, quibus stupenda Dei sapientia prædicatur, ad oculum tibi demonstrari poterunt actus. Profer tu quoq; ex tuis particulis quidpiam ad forum si vir es; Conlidas duas ad invicem Nubes & flammam excutias. Si prolixius de presentibus audire cupis Herminiam nostram Trismegiston inspice.

NATUR: GLOR: Ut te omnes meæ particulæ Mercuri perduint, tu ita debachcharis in me ac si ignorans essem quid inter nigrum interfit & album; Hic te tamen habebò octavo meo discursu.

D E

I R I D E.

Iridem tibi describam, nil aliud esse quam refractionem Solis in Nube:  
hoc

hoc est quando radij Luminis agunt in guttas quæ rotundæ sunt & ita visui nostro illas obijciunt, varicolori specie.

Causa diversitatis colorum est, diversitas motus particularum, aquæ corpus constituentium; quæ enim fortius moventur, causa sunt coloris rubri, quæ remissius, flavi; que paulò remissiori motu rotantur, viridis; iterum debilius motæ, cerulei, & sic consequenter.

MERCURIUS. Quis mortalium per vitam suam de rebus admirandis, magis pueriliter philosophantem, multa blaterantem & nihil demonstrantem, audivit? Alere te motum perpetuum in tuo cerebro, istarum particularum certus sum, unde oculi tui micantes tibi floccos per radios opticos evibrant: qui tibi Irides in aëre parturiunt.

Descripturus tibi Iridis arcum de coloribus prius monebo.

Aquæ corpus rarefactum, quod forma roridæ Nubis in aëris concavo fertur, ita attenuatum est, ut pulchritudo sulphuris, salisq; diaphaneitas tum demum in ipso cum solaribus radijs conlustratur, conspici possit. Sal namq; & sul-

fulphur causa sunt omnium colorum, quæ ab oculis humanis cōspici possunt, illorum splendor quamvis Elementari adhuc corpore vestita, solari jubare tactus, refulget; fitq̄ hoc motu ordinario, ut infiniti colores resplendeant, per totam Nubis molem.

Feceris per artificium sole lucente, rorida subtilitate aqua ascendat eosdem colores in ipsa conspicias, quod non notabis si integrum semicupium aquæ, soli objeceris.

Auri corpus in tenuissima folia percussum, expositum luci splendidam viriditatem tibi exhibebit, simulachrum Leonis viridis in primaterialem verò suam resolutum formam, infinitos colores tibi ostentabit; veram signaturam Iridis.

Cur autem figurâ Arcus (qui vulgo Iris dicitur) tales colores Nubi imprimantur, solâ ordinatione Divinâ id fieri, qui fœderis sui cum mortalitate notam tali Charactere exprimere voluit, quod nobis non rimari, sed admirari potius decet. Cur plures arcus quandoq̄ appareant, fit hoc ab reflexione, claritate



te puta primi, ulterius se diffundente.

Si concavitatem aeris quam Nubes occupant arcus nominati, causam esse dixeris, falleris. Totum enim concavum tota<sup>q</sup> Nubis ita colorabitur latitudo, nullum arcum exhibens. Rotato tu utcumq<sup>ue</sup> voles tuas particulas hoc opus vix imitaberis. Si plura de hoc subiecto desideras Herminia Trismegiston nostra tibi suppeditabit.

NATUR. GLOR: Nonus discursus meus est.

## DE

### COLORIBVS NUBIVM

**A**lbedinis & Nigredinis in Nubibus causa est, primò distantia maior vel minor nubium ab Astrorum lumine, etiam antiperistasis unius nubis contra alteram, qua umbra causatur, ne radij quos anterior intercipit, lucis, ad posteriorem penetrent.

Secunda causa est actus Luminis, qui omnes istas particulas ex quibus Nubes sunt pellit in lineam rectam ad instar pilæ ipsas voluntas. Si corpuscula ista alba fuerint, nubes quoq<sup>ue</sup> albæ adparebunt

bunt. In densiorem vero conglobatæ molem, atram nubem referent.

Absentibus autem Nubibus color Cœli Cyaneus venit in conspicium, qui color index est, claritate propria carere cœlum, & nisi ab astris inlustretur, adpariturum aterrimum.

Coronæ circum Astra quæ visuntur, fiunt ab particulis istis congelatis in formam stellarum, quæ motu continuo circum volvuntur Astris.

MERCURIUS. Quam acu rê tetigisti! Prima causa albedinis & nigredinis in Nubibus falsa est; si raritatem & densitatem dixisses, propior esses veritati: Terminata quippe solis luce in nube rariori, Albedo adparebit; densior Nubes quam lumē perstringere uequit, sed ab eà obscuratur, exhibebit nigredinē.

At secunda causa ridicula est admodum; Quid genus farciminis est, quod particulas tuas in recta teneat; libere n. ad lineā rectam compelli vix poterunt, ast volutari dicis instar pisæ, ut rectā seruent; quid si inquietus agitetur? rumpe- tur enteron; væ tibi nisi declinaveris.

Scias colores omnis generis quicuncq̄  
per.

per Solis splendorem in nubibus jactati  
 visuntur ; à centro Nubis ad circumfe-  
 rentiam produci , fieriq̃ ex sale sulphure  
 & Mercurio Aqueo ; Mercurij spiritus  
 agit in sulphur , colorē in sulphure mo-  
 vet, sulphur exhibet , sal excipit , Cri-  
 stallinaq̃ sua diaphaneitate , radijs solis  
 cōlustratum, tales quales excepit reful-  
 gere facit. De colore Cœli finistrè judi-  
 cas, quia quid cœlū sit ignoras. Quoties  
 nubibus exutum firmamentum cernis  
 Lumē firmamenti conspicias , quod tibi  
 faciem Cyaneam exhibet , colorem ex  
 claritate stellarum causatum, quibus fir-  
 mamentum exornatur ; at obscuratur ab  
 solis splēdore, ut lumē minus à majori ;

Cœlum autem quia supra firmamen-  
 tum est neq̃ Lynceis oculis abs te con-  
 spici poterit. Quid id sit , non est hujus  
 loci prolixius enarrare.

Hæc sunt quæ particulas tuas supe-  
 rant amice, quas in cerebro tuo conglu-  
 tiatas judico , istæ ipsæ erunt , quæ tibi  
 per perspicilla tua, coronas circum astra  
 mentientur.

Ut verò intelligas, quādo Coronæ cir-  
 cum solem & lunam & cœteras stellas  
 cou-

contingant sic hoc, cum æquali Nube obducitur Firmamēti facies eāq̄ rariori; Luminaria per eandē à nobis perspecta, circo quodam coronata esse cernuntur ubi nil nubibus inprimitur, sed acies visus nostri est quæ nos fallit, Inferior verò nubes superiorem perreptās, coronas tollit, quā discedente iterū adparent. Exempli gratia: Post fenestrā vitream, candelam ardentem noctu statuito; adspicito eminus, radios tibi lumen candelæ, stellæ ad instar sparget, coronamq; effigiabit vitro ab ullâ impressione libero manente: Ita de Luminaribus firmamenti, tibi imaginare, ubi nube transparenti inter Astra & visum nostrum sese interponente idem notabis. Sic evanescent tuæ particulæ.

NATUR: GLOR: Adhuc de decimo meo discursu tecum conferam, quo.

## D E

### *CAUSA CUR PLURES SOLES*

Infirmamento appareant, tracto.

**P**Lures soles apparentes causantur à particulis congelatis in figuram stellu-

stellularum à ventis duobus contrarijs in rotundum coactis ; ita ut ad nullum latus declinare , sed per circum agitari cogantur, ac ita rotunditatem Luminis ementiri figuram solis representantem.

Differètia inter Iridis Arcum & solis imaginem , ea est ; quia ibi guttæ causantes Iridem rotundæ sunt , in Pharhilio verò particulæ conglaciatae , planæ & latae.

MERCURIUS. At quæ ad generationem tuam convenere erant particulæ vermiculatae, quæ totius mundi absorbere particulas , contulereq; ad tuam confectionem , qui meras particulas eructas. Particularis es , particulis omnia metiris. Particulæ sunt tuæ ignorantiae Asylum ; in particulas resolveris ; & in ventum discutieris , si in glaciem apud te coaluerint , semicupium Calidæ , ut emollescant , tibi parabitur.

Exprimit Sol effigiem suam ter quaterue in nube, quæ salino turget spiritu, Crystalli instar, solis figuram excipienti, ubi solari præminente jubare, genuinus nubis obscuratur sulphureus splendor, admittitq; hospitem peregrinum, emē-  
tien-

tientem solarem Indolem: Ab eadē causā Lunę pluralitas effigiata oritur: Quod vero cum Iride comparari possit, nihil hīc reperitur. At cesso tecū āplius agere, video enim te ex particulis istis ita ebriū ut veritati apud te locus non detur.

Tres tamen adhuc absurditates tuas reservavi pro coronide, ex discursu de Methodo.

Prima est de motu Cordis, secunda de generatione spirituum Animalium.

### 3. De Medicinæ reformatione.

Motum cordis causari ab guttis sanguinis, cadentibus in ventriculos cordis, quæ ab calore cordis in vaporem aguntur, cordisq̄ cavum dilatant, dissipati cor contrahunt non secus ac si candenti laminæ gutta injecta, vi caloris ferri in vaporem dissiliret.

O simplicitatem! O absurditatem absurditatum absurdissimam! Tyro quivis in Phycis initiatus te irridebit, erroris convincet & refutabit.

Quæ audacia est hæc tua de motu cordis ita inscitè garrire, qui cordis officium ignoras? Vertiginosæ tuæ sunt cogitationes, insulsæ, tuis particulis

confusæ, ridiculæ.

Scias cor ipsum: officinam esse, quæ ad elaborandum sanguinem subtiliorem, qui loco vehiculi spiritui vitali infervire debet à naturâ esse destinatum, quem per arterias per totam corporis effundit molem, vitæ que reddit participem: non secus ut hepar per venas, sicuti canales, etiam remotissimis & minimis corporis partibus, succum nutritium impertitur. Motus ipsius naturalis est, quem à primâ sui formatione à Creatore obtinuit. Contractione sanguinem elaboratum ad canales exprimit, Dilatatione spiritum recolligit, ut iterum excludat: cui sanguinis copia nunquam deficit; Ipsi hepar famulatur. Ne autem motu isto perpetuo exæstuet de involucro, ichore pleno quo extus irrigari debebat natura ipsi prospexit. Conferas tu hæc cum tuis guttis.

De spiritu Animali quem nescis, sicuti cæcus de coloribus judicas; aversa sunt hæc à tuo cerebro.

Spiritus Animalis est forma interna animalis per quam Animal fit Animal, & dicitur Animal.

Est

Est ergo pars Essentialis Animalis diffusa per totum.

Si in toto est, & est ipsum totum, utiq; demum in corde elaborari non poterit. Effet n. ista elaboratio, nova animalis generatio. Sed ex corde vitam corpori infundit. Ex jecore nutrimentum. Ex cerebro sensum & motum: Ita ordinante summo isto Opifice. Sic n. animal conservatur. Dictis tribus officinis, manentibus integris spiritus officium facit. In discrasiam cadentibus ægrotat Animal.

Pone hæc singula ad trutinam, confer cum tuis particulis, invenies quam in naturâ oberres. Judica ipse qui vitæ qui sanitatis, Morborum & mortis principia & causas ignoras. Quomodo his mederi poteris? qui in naturâ cæcutis; ubi medicinam invenies? Ex particulis congelatis stat Medicina tua, quam quivis flatus patientis discutiet.

Est hæc superbia ignorantum, quibus etiam Montes parturiunt.

Unde quæso tibi hoc in mentem, ut reformare velis id, cujus ignarus es? Disce prius gloriose reformator, Quid reform-



Natura sit! Quid Medicinæ demum ad  
 eformandum, si extra metam quid in-  
 teneris, te parato.

Præsenti caractere Naturæ Lumi-  
 nis tibi objicio speculum, in quâ pro-  
 portione ipsa stet, tu inquire, si recte rem  
 intelligis, invenies, superbire ipsam in  
 Harmonia maxima.




Hic veram Magni hujus Mundi tibi  
 explicatam habes Musicen, si istam  
 tenere potes, nil erit in hoc magno  
 Mundi volumine quod te latebit.

C

Hu-

# Humanæ sanitatis & Medicinæ Character.



**H**inc Medicinæ præcepta disce, quid vera Medicina sit reperies. Falleris tamen si vulgariter præsentis characteres adsumes. Æquationem quære, ipsam reducito, extrahitoq̄ radicem. Si hæc prestiteris, Reformatorem te Medicinæ admittam.

Ist hæc omnia Herminia Trismegiston abunde tibi declarabit, Interim vale, & quæ tecum mihi intercessere, bono consule: si verba non nulla te offendunt cogita te alios deterius excepisse. Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.

Sin crabrones irritare perges, invenies quem quæris.

Co

## COROLLARIUM.

*Sequentia, quæ sub finem  
tituli Commemorata sunt, Coro-  
nidis loco, adiicere placuit.*

**C**ontempsisse ipsum omnes Parti-  
culares; *Academiarum & Vniuersi-  
tatum Scholas*; ut pote nudas errorum  
nutriculas; Tacebuntne ad hæc schola-  
rum *Rectores*? silebuntne *Academici*?  
*Vniuersitatum* hic etiam conuiuebunt  
*Proceres*? Dicat quæso, si alias literis  
imbutus est sermonisq; latij quo solo li-  
teratorum titulus splendet, gnarus; Ubi  
nam *Elementa Artium liberalium* cõ-  
biberat? Unde scientiam partium *Ma-  
themathices Geometricæ, & Dioptricæ,*  
quibus hodie superbit, & nihil quod  
non dictum fuerit dicit, mutuatus est?  
Unde *Facultatis medicæ* precepta ipsi  
in notuere? que reformare cogitat? si õ-  
nes errant, decipiuntur quam plurimum  
qui erudiendum liberos suos, *Scholis*  
committunt. Frustra impensas faciunt,  
qui *Academicis*, artibus liberalibus in-  
struen-

struendum, suos confidunt. Quam maxime imponitur istis ab *Universitatum* Columnis; qui *Facultatibus*, *Theologica*, *Iuridica*, & *Medica*, ibi instrui cogitant: cum tamē quotidiana testetur experientia, plurimos è *Scholis* euadere ita ingenijs excultos, ut *Academicis* adprehendendis inueniantur aptissimi, eruditissimi. Splendent per *Scholas* ingenia, ut stellæ per *Cœlos*: sicuti stellæ aliæ alias claritate; ita ingenia, subtilitate sese superant. Horum omnium non mortua tantum, *Libri* puta, sed *viva* etiam, infinita adsunt testimonia. Si in *Artibus Liberalibus* volet; Nulla ipsius comparatio erit; si in *Mathematicis*; ne umbram ipsius admittent. In *Facultatibus*, *Theologica*, *Iuridica* & *Medica*, tot tantiq; erant & sunt ad huc *Heroes*, quorum ipse non meretur ut deosculetur calcaneum. Contemnentur ne ab ipso tot in omni genere scientiarum, eruditissima capita? Rejicetur ne ab ipso methodus discendi selectissima, ab universa turba *Eruditorum*, ab *seculis* recepta? Num ipse solus erit qui super omnes extolletur? Is ipse ne est, qui

qui clanculum pyra vel poma affando, tanta sapientia in prægnatus est, qua superaret universos? O arrogantiam, omnis verecundiæ fines transilientem; ô impudentiam. Si omnes *Scholæ* apud ipsum errantes sunt, cur demum, qui alias omnem devoravit sapientiam, *Lugduni Batavorum*, operationibus incumbit Chymicis? ibi demum erroribus fatigabitur, certus sit: non ista Chymica sunt, sed ciniflonum, Pseudochymicorum, imposturæ & delirementa: Veros Chymicos *Hermeticæ Medicinæ* alumnos nondum adiit; Chymia enim sinistra est Hermeticorum, (non ipsa Ars medica) secuti Pharmacopoea Galenicorum, quâ Anatomia trinæ istius Reipublicæ, Animalis Vegetabilis & Mineralis administratur; Corpora in prima sua principia resoluuntur; abdita referantur, Resoluta purificantur; purificata, separantur; separata componuntur; Cõposita coagulantur. Coagulata perficiuntur; quorum perfectio, consistit, in puritate Naturæ Balsami. Omnes nominatas Encheireses, si percipere, si addiscere cogitat, præcepta ipsi ex natura peten-

petenda erunt: Naturæ Anatomia interna tum externa perdiscenda; illa cognita, demum ad labores descendet & quid agendum, cognoscet, nisi enim talibus instructus; illotis manibus ad artis sacraria accedet; porcus viridarium insiliet, lanienam non Anatomiam exercebit: Corpora naturalia quibus alias admirandam ostendere deberet Altissimi fabricam in Chaos confusum rediget, quo nomine, quod resplendere debebat, obscurabitur, cortices pro nucleo labore sudoreue lucrabitur. Non fuisse ipsum in consortium eruditorum unquam admissum, alias *Scholas* omnes nunquam tam temere contempsisset. Quid inde conjiciendum? Habitasse ipsum in eo contubernio ubi omnium ignorantum sentina confluerat; sapientum palatium non adtigisse.

## Errata Typographica.

- F. 6. pro disposni, lege disposui. pro Am-  
phit: lege Amphitheatrum. pro. In lege In.  
F. 7. pro fieri, lege fieri. pro fit, lege sit.  
F. 10. pro curtam, lege cur tam. F. 11. cor-  
datns lege cordatus. pro faac, lege fac; pro  
nostram, lege nostrum. F. 11. pro profun-  
diaus, lege profundius. F. 15. pro matelia,  
lege materialia; pro eausa, causæ, F. 21. pro  
abforbet, lege absorbet. F. 22. pro infani-  
am, lege insaniam. pro cnm, cum. F. 32.  
composilæ, lege compositæ. F. 36. pro cæ-  
unt, lege coeunt. F. 40. inbare, lege jubare.  
F. 42. pro claritale, lege claritate; pro fi,  
si: pro pisæ, pilæ. pro inquietus, inquietius.  
F. 45. pro Pharhilio, lege Parhilio. pro  
esligiem, effigiem. præ eminente.